DE REBUS ERYTHRAEORUM PUBLICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

GOTTINGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FERDINANDUS LAMPRECHT

MARCHICUS.

BEROLINI 1871.

Typis expressit Gustavus Schade (Otto Francke).

Marienstr. 10.

PARENTIBUS ET PRAECEPTORIBUS

CARISSIMIS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

CAPUT PRIMUM.

PENINSULAE ET URBIS ERYTHRAEORUM DESCRIPTIO.

In peninsula, quae Mimante et Coryco montibus formatur, sitae erant Teus, Clazomenae, Erythrae, quarum Tei ruinas in loco Bodrun, Clazomenarum prope Vurla, Erythrarum apud Lithri superesse omnes consentiunt. Atque a Teo quidem haud procul abest castellum olim Genuensium Sighajik, prope quod portum Strabonis *Γεῤῥαΐδας*[1]) eundem ac Livii Geraesticum[2]) esse Pocockius[3]) primus vidit. Nomen vero eius oppidi, unde appellatus esse hic portus videtur, diverse in libris scribitur, cum mox *Γέῤαι*, mox *Ἔῤαι*[4]) inveniatur; illud Livio, hoc Thucydide[5]) auctore utitur neque minus in nummis[6]) apparet. Itaque cum nostris temporibus homines docti persuasum habeant, verba quae sunt

1) Strab. XIV, 644 (Meineke).

2) Liv. XXXVII, 27 (Weissenborn).

3) Pococke, voyage en Orient, traduit en français. Paris 1772. V, p. 31.

4) Strab. l. c.

5) Thucyd. VIII, 19 (Krüger).

6) Mionnet, suppl. vol. VI. p. 212.

Geras et Eras eandem significare urbem, aut Muelleri v. cl. sententia[1]) probanda est, qui Eras ionicam nominis formam, Geras aeolicam esse arbitretur aut nihil restat quam ut progrediente tempore illud in hoc commutatum esse putemus. Huic urbi occidentem versus affines Strabo cognovit Chalcidenses[2]). Quos Teiorum in numero esse habendos quamquam praeter eum titulus[3]), in quo vicus vel castellum Chalcideus nomine inveniatur, testis est, tamen si magnitudinem Chalcidis[4]) respicimus, licet nobis concludere, magnam huius regionis partem et plerosque Chalcidensium subditos Erythraeis fuisse, praesertim cum una cum iisdem tributa solvisse videantur Atheniensibus[5]). Eo multi quotannis aegroti aquis marinis, quae omnium Ionicarum erant saluberrimae, aut in cavernis aut in balneis usuri proficisci solebant[6]).

Septentrionalem isthmi partem obtinebant Clazomenii, qui Strabonis aetate inde ab Hypocremno, Erythraeorum oppido, ad orientem solem spectabant[7]), cum quinto a. Ch. saeculo incolae Polichnae, urbis Clazomenis in continenti oppositae ut illorum coloni stipendia penderent[8]).

---

[1]) Geograph. graec. min. I, p. 71.

[2]) Strab. l. c.

[3]) Corp. inscr. graec. II, p. 651.

[4]) Pausan. VII, 5. 12 (Schubart).

[5]) Köhler, Urkunden und Untersuchungen zur Geschichte des delisch-attischen Seebundes. p. 53. in comment. acad. Berol. 1869.

[6]) Pausan. l. c.

[7]) Strab. XIV, 644.

[8]) Köhler, l. l. p. 15, 19, 23.

Quod peninsulae reliquum est, iam antiquissimis temporibus nominari solebat Erythraea[1]). Cuius[2]) ora inde ab Eris usque ad Corycum promontorium[3]) (hodie Koraka, Kurko appellatum) ad orientem solem, inde usque ad Argennum promontorium[4]) (a Turcis Aspro Kavo, *κάβος ἄσπρος* a Graecis hodie nominatum) ad meridiem spectat. Iam vero exiguitate et macie terrae coacti accolae cum piscando et mercando, tum, quod in ora portuosa plenaque latebrarum res aliis ereptae facile occultari vel imminente periculo celeriter in Teiorum fines transferri poterant, plerumque latrociniis maritimis[5]) vitam tolerabant. Quo factum est, ut mox in proverbium venirent idque eo magis, quod quo mercatores navigarent, in portubus percunctati propositum semper assequi dicebantur[6]). Portuum vero ad recipiendas classes satis magnorum quamquam nomina

---

[1]) Tabula geographica, quae cum Erythraeae tum Chii accuratissimam exhibet delineationem, inscripta est: The island of Khios (vel rectius Scio), the ancient Chios, with the strait and the adjacent coast from Kara-Bournou to Sighajik, surveyed by commander Richard Copeland, London 1835.

[2]) Thucyd. III, 29. III, 33. Liv. XXXVII, 12.

[3]) Coryceon Plin. h. n. V, 116 (Sillig).

[4]) *Ἄργεννον* Polybius et Strabo, *Ἀργῖνον* Thucydides.

[5]) Quod olim gloriae habitum esse Thucydides I, 5 et Justinus XLIII, 3, 5 testantur.

[6]) Ita qui, quae audienda non erant, tamen audire conabatur, Corycaeus increpari et in eum, qui secreto aliquid facturus erat, quum deprehendebatur, Graeci homines versu uti solebant hocce: *Τοῦ δ' ἄρ ὁ Κωρυκαῖος ἠκροάζετο* cf. Strab. XIV, 644. Hesych. Steph. Byzant. Phot. Suid. s. v. Ceterum Naberus ad Phot. l. c. I. p. 366 *ἠκροάσατο* legendum esse censet.

quidem apud auctores legimus compluria, tamen singulorum situm accurate definire non possumus. Ac primum quidem Corycum habes haud procul ab eiusdem nominis promontorio [1]), ad quem Romanorum classis, postquam in Cyssunte Antiochi regis naves exspectatura commorata est, traiciebat [2]). Quorum hic num idem sit atque, ut nonnullis videtur, Strabonis *Κασύστης* [3]), diiudicare non ausim. Sequebantur deinde Erythras et complures alii, inter quos Embatus vel Embatum [4]), qui quidem nunc fortasse portus est urbis nomine Latzata, a quo orientem versus Halonnesum insulam habemus [5]). Ut in hoc latere multos, ita in ea quae ad Chium insulam vergit ora paucos portus et unum eumque magnum cognovimus sinum. Inter Argennum, quod sexaginta fere stadia a Posidio Chii promontorio abest [6]) et Heram Mesatam [7]) promontorium (a Turcis Kumuthi nominatum [8]), quod Erythris Chium in urbem navigantibus in medio itinere est positum, hodie invenimus portum urbis quae est Tschesméh, quo, priusquam a Turcis devastata est h. e. usque ad annum 1823 p. Ch., fere omnes ex Chio insula naves appellere solebant [9]). Hunc

---

1) Thucyd. VIII, 14. Liv. XXXVII, 8.

2) Liv. XXXVI, 43.

3) Strab. XIV, 644. Contra eos dicit Drakenborchius ad Liv. l. c.

4) Thucyd. III, 29. III, 32.

5) Strab. l. c. Hodie Tavates appellatur.

6) Strab. l. l.; Pocockius l. c. V, p. 31 centum sexaginta postulat stadia.

7) Pausan. VII, 5, 6.

8) Tchihatcheff, l'Asie mineure. vol. I, p. 63.

9) Pococke l. l.

eundem esse atque veterum Phoenicuntem, negare non possumus, si quidem Livium auctorem sequimur, qui narret[1]), Romanos Epheso venientes eum praetervectos nocte ancoris iactis postero die in Chium insulam et ipsam urbem traiecisse. Magnopere autem repugnat Thucydides, qui quam accuratissime dicat[2]): *αἱ δ'ἄλλαι* (sc. *νῆες*) *καταφεύγουσιν εἰς τὸν ὑπὸ τῷ Μίμαντι λιμένα, Φοινικοῦντα· καλούμενον.* Quorum cum hic nomen certo scire posset, libri autem et Liviani et Thucydidei ad unum omnes sibi constent, illum erravisse contendo[3]). Inde ab Hera Mesata usque ad promontorium, quod nunc Mavrovuri appellatur[4]), ora maximo flectitur sinu, in quo ante Erythrarum portum Hippos insulas sitas veteres commemoraverunt[5]). Praeter eas autem admodum parvas aliae ibi sitae sunt, quarum nomina haecce: Makro, Goní, Mesó, Platiá; deinde Prasoli, Tasilghi, Apega, Karadagh (germanice Schwarzberg), Onos. Peninsula supra sinum, ubi Egriliman[6]) portum invenimus[7]), ad occasum solis vergit usque ad *Ἄκραν μέλαιναν* promontorium, ad quod lapides molares exscindebantur[8]). Qui nunc terram incolunt, inter Karaburnu et Kumluburnu[9]) culmina distinguunt, quorum

---

[1]) XXXVI, 45.

[2]) VIII, 34.

[3]) Cf. Hertz, Liv. vol. I. prolus. p. XXIV.

[4]) Tchihatcheff I, p. 339.

[5]) Strab. l. l.

[6]) Egriliman Tchihatcheff, Eghri Liman Hamilton.

[7]) Phoenicuntem Thucydidis, quam sententiam Hamiltonus quoque tulit II, p. 5.

[8]) Strab. XIV, 645. [9]) Tchihatcheff, I, p. 69.

illud Ἄκραν μέλαιναν veterum esse probabile videtur. Inde ab hoc denique promontorio ora spectat inter septentriones et orientem solem, quo in latere situm fuisse puto Corynaeum promontorium[1]), a quo haud procul aberat Coryna urbs[2]).

Ut paene omnes Asiae minoris peninsulae montibus in longitudinem obteguntur, ita Erythraea quoque Mimante et Coryco, quorum ille quattuor fere milia pedum altus[3]) silvarum ubertate[4]) bestiarumque copia[5]) et apud veteres et nostris temporibus est insignis, hic paullo minoris altitudinis antro Sibyllae celebratus[6]) et piratis, quos supra memoravimus, famosus ad oras quidem silvis caret[7]). Eundem illum Mimantem CL milia passuum longum Alexander, ut Ἄκραν μέλαιναν periculosum promontorium evitaret, perfodi iussisse dicitur[8]), cuius rei vestigia nullo loco ab iis, qui ibi itinera fecerunt, usque adhuc reperta sunt[9]). Cuius quidem montis veteres cacumina nulla cognoverant, Tournefortius

---

1) Plin. h. n. V. 117. Vid. infr. p. 15.

2) Pomp. Mela I, 17 (Parthey); ceterum is qui tabulam geographicam supra laudatam depinxit, Mavrovuri promontorium esse putat Corynaeum veterum.

3) Παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα Od. III, 172.

4) Pinusque Mimantis Lucan. VII, 449.

5) Strab. l. c.

6) Pausan. X, 12, 7.

7) Poujoulat, in: Michaud et Poujoulat, correspondance d'Orient. Paris 1833—35. vol. III, p. 440.

8) Plin. h. n. V, 116. Pausan. II, 1, 5; inde a Clazomenis scilicet usque ad Teum, cf. Droysen, Gesch. Alex. d. Gr. p. 112.

9) Chandler, Reisen in's Deutsche übersetzt. Leipz. 1776. cap. 25.

vidit duo, quae cum pari altitudine sint, ab incolis fratres appellari narrat[1]).

Fluvii, montibus per angustam peninsulam porrectis, nisi parvi esse non possunt, quorum clarissimus quondam erat Aleus[2]), propterea quod aquam eius bibentibus pili in corporibus crescere fabulose ferebantur[3]). Is in septentrionali Coryci parte oriens primum inter septentriones et occasum solis, deinde occidentem versus fluit[4]), donec ad Erythras in mare cadit[5]). Praeter hunc Osmaïsu, qui in meridionali montis eiusdem latere originem habet, in sinum urbis quae est Latzata effunditur[6]).

Urbem novimus Erythras, vicos Pteleum[7]), Sidussam[8]), Polichnam, Hypocremnum, Cybeliam, Helum, Dorium, Corynam[9]), Buthiam[10]), Elaeuntem. Quorum

---

[1]) Tournefort, relation d'un voyage en Orient. Paris 1718. vol. III, p. 199.

[2]) In nummo, qui nunc Vindobonae conservatur, Axus appellatur, cf. Mionnet, méd. grecques, Suppl. VI, 219, 946: *'Επι Ζωσιμου· Ἄξος 'Ερυθραι[ων.*

[3]) Plin. h. n. V, 117. XXXI, 14.

[4]) Tchihatcheff I, p. 69.

[5]) Summa humanitate Paulius, v. cl. (de quo vide infra) roganti mihi mecum communicavit, fluvium vel potius rivum illum aestate paene siccum esse neque nisi imbribus magnis hiemalibus usque ad ripas crescere. Ita demum ea, quae Tchihatcheffius narrat, cum iis quae apud Hamiltonum, researches in Asia minor II, p. 6 legimus, coniungi possunt.

[6]) Poujoulat, l. l. p. 440.

[7]) Thucyd. VIII, 24. VIII, 31. Plin. h. n. V, 117.

[8]) Thucyd. VIII, 24. Steph. Byz. s. vv. *Σιδοῦς* et *Σίδουσα* cf. Meinekii ad l. c. adnotationem. Perverse Plin. h. n. V, 137.

[9]) Plin. h. n. V, 117. [10]) Steph. Byz. s. v.

Pteleum et Sidussa in ora occidentali ad Mimantem[1]), Cybelia in ipso Mimante, Hypocremnus ad radices eius orientales[2]), Polichna prope Clazomenas, Coryna fortasse in ora orientali sita erat: reliquorum vicorum situs equidem in medio relinquam. Praeter situm autem cum in iis qui apud veteres leguntur plerumque nihil liceat conicere, stipendiarii quam divites[3]) fuerint, annuo ex tributo concludi potest. Solverunt autem ex vicis illis[4])

Polichnaei	4000[d]
Buthienses	1000[d]
Sidussii	500[d]
Pteleusii	100[d]
Elaeusii	100[d]

Haec de peninsulae oris, montibus, fluviis, vicis; nunc transeamus ad ipsius Erythrarum urbis situm ruinarumque descriptionem, de quibus Chandlerus[5]) et Hamiltonus[6]) commentati sunt[7]). Ac primum quidem constat, urbem a septentrionali et meridionali parte montibus semicirculis cinctam ad Alei ostium fuisse sitam in planitie, cuius humus partim maris alluvionibus

---

[1]) Thucyd. l. l. [2]) Strab. XIV, 645.

[3]) Quinto a. Ch. saeculo. [4]) Köhler, l. c. ind. urbium s. v.

[5]) Chandler, Reisen in's Deutsche übersetzt. Leipzig 1776. cap. 25, 26.

[6]) Hamilton, researches in Asia minor. 2 voll. London 1842. II, p. 6 sqq.

[7]) Maximae autem utilitati fuerunt, quae Paulius v. cl., qui inde ab anno 1852 usque ad annum 1857 in Chio insula medicus versans eoque tempore ter in continentem transvectus, Erythras vicinasque regiones perlustravit, rogatu meo summa liberalitate ac benignitate per litteras mecum communicavit.

emersit. Moenia vero solidis rubri trachyti aut marmoris caerulei lapidibus satis late exstructa turribusque quadratis hic et illic munita tribus quidem ex partibus praebent structuram quam vocant isodomam, ubi autem mari proxima sunt, MMDC fere passibus, pseudisodomam. Cum huc accedat, ut ibi marmori inserti sint duo ordines trachyti viginti pedes a solo elati, hanc partem, ut consentaneum erat, primam contra impetus hostium navibus venientium munitam esse facile conicitur. Portae complures[1]), inter quas nonnullae singularis structurae, et sepulcra extra moenia inter septentriones et orientem solem conspiciuntur. Ibidem intra moenia originem habent fontes, quos apud incolas summo in honore fuisse ex templorum fundamentis gradibus columnis et inscriptionum fragmentis coniecturam licet capere. Dignissimus autem cuius ratio habeatur, superest paries viginti passus in longitudinem aggeri substructus, cuius partem inferiorem egregie structura quae dicitur cyclopica, superiorem structura isodoma praestantissime aedificatam vides[2]). Quibus rebus permotus Hamiltonus hoc loco templum illud Herculis apud veteres ad vetustatem insigne[3]) censuit fuisse. Ubi murus orientalis montes attingit, ut fundamenta quam firmissima ponerent, saxa exciderunt. Media in planitie collis leniter ab infimo adclivis trecentos passus[4]) a mari abest, in quo arx erat Erythrarum aedificata. Huius in

---

[1]) In tabula illa geographica quattuor reperio.

[2]) Vide, sis, Hamiltoni tabulam.

[3]) Pausan. VII, 5, 5.

[4]) 200 Yards, si quidem Hamiltono fides est habenda.

ascensu septentrionali conspiciebantur fragmenta theatri[1]), in summo autem colle tempore quod dicunt byzantino conditum est palatium. Cuius quidem materia partim ab illo sumpta est, ita ut sedes, quae caeruleo erant marmore atque eo quidem, quod haud procul a Chio urbe[2]) septentrionem versus ad mare excidebatur[3]), maximam partem discerni iam non possint. Pepercerunt autem usque ad Hamiltoni tempora septem radiis, quos gradibus inter cuneos profunde incisis prope omnes ipse conspexit. Paries theatri exterior munimento est palatio, in quo praeter eas quas ille descripsit inscriptiones reperiri alias posse equidem confido. Antiquae urbis omnibus copiis quondam valentis parvam partem eamque mari proximam occupat nunc vicus, cui nomen est Lithri[4]), quem rustici pauperes natione Graeci incolunt. Inveniebantur autem ut nostris temporibus theatri, ita superioribus saeculis ruinae aedificiorum et columnarum statuarumque inscriptionibus ornatarum fragmenta, quae Chium aliasque in urbes vicinas sunt ablata[5]).

---

[1]) Paulius v. cl. anno p. Ch. 1852 dimidiam fere partem, 1855 quum Chii venia data quodcunque lapidis vel marmoris ad domus aedificandas asportassent, paene nihil theatri conspexit.

[2]) In loco viginti minutas remoto. [3]) Strab. XIV, 645.

[4]) Neque Chandlerus neque Hamiltonus neque Lebas ll. cc. rem recte explicant; litterae enim a magistratibus vici ad Paulium datae erant subscriptae: *Λιθρή* = Lithri.

[5]) Quo factum est, ut titulus sextus (cf. act. acad. Berol. 1863. p. 265), quem Erythris, non Chio attribuendum esse Kirchhoffius v. cl. ipse testatur, hac altera in urbe a Prokeschio v. cl. inventus sit.

CAPUT SECUNDUM.
DE REBUS ERYTHRAEORUM GESTIS.

Inter eos qui ante Ionum adventum in peninsula habitabant, commemorantur Cares et Leleges[1]), quorum de finibus iam veteres valde inter se dissentiebant[2]). His adiungendi sunt Pelasgi, quos certum est a Mycale inde septentrionem versus totam Asiae minoris oram incoluisse[3]). Urbem ipsorum Erythraei narrabant[4]) ab Erythro Rhadamanthi filio et Erythraeis cum illo Creta profectis esse conditam. Quocum optime congruunt ea, quae de Rhadamantho Minois fratre a Cretensibus dictitari solebant, ut multas alias insulas et continentis urbes, ita Erythras quoque ab illo esse datas Erythro filio atque inde nomen tenere suum[5]). Quibus testimoniis liceat addere — argumentum, confiteor, satis infir-

---

1) Pausan. VII, 2, 7 — 3, 4. fragm. hist. graec. ed. Müller. I, p. 242.

2) Kiepert, act. acad. Berol. 1861. p. 114. Deimling, Leleger. p. 9 sqq.

3) Menecrat. ap. Strab. XIII, 621.

4) Pausan. VII, 3, 4. Vide cum titulum ap. Lebas, l. c. vol. III, 5, 55, in quo legitur *ἡ διασημοτάτη Ἐρύθρου πόλις κτλ.*, tum nummum mus. reg. Berol., quem Friedlaenderus v. cl. in diurn. archaeol. 1869. publici iuris fecit, circumscriptum ***ΕΡΥΘΡΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ· ΕΡΥ.***

5) Diod. Sic. V, 79, 1 (84, 3) (Dindorf).

mum —, nomina quae sunt Erythraea, Erythraeum, Corycus, Corycae, Polichna, et in Creta et in Erythraea inveniri. Suo igitur iure Hoeckius v. cl. arbitratur[1]), urbem cuius regnum ipse Rhadamanthi filius acceperit, cum Creta firmiore quam alias vinculo fuisse coniunctam. Praeter hos autem ibi habitabant Lycii et Pamphylii[2]), quorum illi Cretensibus propinqui, hi et ipsi natione Graeci erant, unde profecto intelligitur, urbem iam antiquissimis temporibus plane graecam fuisse. Quarum gentium, cum facillime inter se coaluerint, nulla ne in cultu quidem vestigia reperire possumus.

Aliud statuendum est de Phoenicibus, qui, ut erant mercatores strenui studiosique rei quaerendae, in omnibus quae ad mare mediterraneum sitae erant terris negotiabantur. Erythras autem Tyriorum demum naves appellebant, quod ex Herculis cultu, quem omnino fuisse in hac sola urbe scimus[3]), facile concluditur. Est autem ab Erythraeis tam libenter receptus, ut deus mox praeter ceteros coleretur, eius effigies nummis urbis imprimeretur, templum vel Pausaniae temporibus superesset inclitissimum. Cuius rei causa fuisse videtur non tam quod advenae saepenumero frequentes appulsi diutius commorabantur quam quod indigenae pluribus commixti gentibus ad ea quae illi secum ferebant, propensi erant atque inclinati.

---

[1]) Hoeck, Kreta II, p. 232.

[2]) Pausan. VII, 2, 7.

[3]) Movers, Phoenizier II, 2, p. 146. Duncker, alte Geschichte, I², p. 306.

Hi omnes dum urbem incolunt, Cnopus Codrides[1]) manum in urbibus Ionicis collectam eo duxit. Qui quamquam a Pausania[2]) Cleopus appellatur, tamen ut Strabonem potius sequamur, adduxit nos praeter ea quae a Casaubono in adnotatione ad illum Strabonis locum disputata sunt, Stephanus etiam Byzantius, qui s. v. *Ἐρυθραὶ* dicat, urbem *Κνωπούπολιν* olim nominatam fuisse. Neque solum in nomine, sed etiam in re ab illo dissentire magis placet. Quem si sequimur, Cnopus eiusque comites sine vi et armis a civibus recepti sunt. Iam vero Polyaenus vetustiorem sine dubio auctorem, qualis erat Hippias Erythraeus[3]) secutus memoriae prodidit[4]), eum cum Chrysama sacerdote adhortante deceptis incolis multos interficeret, subito urbe esse potitum. Quod veritati multo propius accedere facile est ad intelligendum, quia advenae sibi optimum quidque vindicare atque adeo imperare malebant quam una cum illis sorte uti. Ita Erythris in Ionicarum urbium societatem receptis[5]) Cnopupolim nomen imponere inceperunt; tantum autem aberat, ut hoc diu in usu esset, ut illud mox valeret.

Ceterum quae gentes eo venerint, cum Cnopus

---

[1]) Strab. XIV, 633 filius Codri illegitimus. Pausan. VII, 3, 4 unus ex C. filiis. Polyaen. VIII, 43 unus ex C. posteris.

[2]) Pausan. l. l.

[3]) Athen. VI, 259 (Meineke).

[4]) Polyaen. l. c. (Woelfflin).

[5]) Quae cum ita sint, Aelianus var. hist. VIII, 6 et Harpocratio s. v. *Ἐρυθραῖοι* falluntur, cum dicant, Erythras inter urbes a Neleo Codri filio conditas fuisse. Opus est dici, eas ab illa colonia esse profectas, cuius dux fuerit Neleus.

Mileti et fortasse alibi comites collegerit, auctores si solos respicimus, diiudicari non potest. Iis enim, qui urbem illam Erythraeorum Boeoticorum coloniam esse putant[1]), fidem omnino non habendam censeo, propterea quod magis ex nominibus quam ex certis argumentis vel testimoniis conclusisse videntur necdum vestigia eorum reperta sunt. Athenienses autem vel si mavis Atticos, quamquam nihil traditum est, multos tamen invasioni illi interfuisse, quam luculentissime apparet inde, quod et Cnopus Codrides dux erat et ut Athenis, ita Erythris Minerva Polias praeter Herculem maxime omnium aetatum memoria colebatur[2]). Neque vero est committendum, ut cum Dunckero v. cl. Abantes, qui Chium occuparunt, ratione solius dialecti habita[3]) eo venisse statuamus; hanc enim ex usu et consuetudine, quae inter urbes intercedebat, ortam esse, mihi quidem longe verisimillimum videtur[4]).

Etsi igitur omnes Iones necessitudinis quodam vinculo coniuncti erant, tamen, quod plerique agris deficientibus mercatura victum quaerere erant coacti, fieri non potuit, quin multae inter eos et magnae exorirentur

---

[1]) Strab. IX, 404.

[2]) Boeckh, comment. acad. Berol. 1853. p. 151 sqq. Lebas, l. c. vol. III, 5, 38 explic. Pausan. VII, 5, 9.

[3]) Herod. I, 146 (Baehr).

[4]) Duncker, alte Geschichte III, p. 242. Wenn Herodot, ait, die auffallende Gleichheit des Dialektes von Chios und Erythrä hervorhebt, so ist daraus wohl zu schliessen, dass Erythrä auf der Chios gegenüberliegenden Küste eben von dieser Insel aus (nämlich Euböa) gegründet worden ist.

discordiae[1]). Qua in re consentaneum est, Erythraeos cum Chiis potissimum esse congressos. Ita bella saepenumero inter se gesserunt de Leuconia[2]), quam non in Boeotia fuisse nemo non intelligit. Eligamus igitur oportet inter duo huius nominis oppida, quorum alterum in ipsa Chio insula, alterum haud procul a Phocaea in iisdem angustiis situm erat. Quorum non dubito, quin hoc loco intelligendum sit hoc, si quidem recte diximus, Corynam[3]) urbem in orientali peninsulae ora fuisse sitam. Quid enim spectans parva Erythraeae urbs, Corynam dico, colonos in Chium insulam deduxisse videri possit? Ac si fecisset, nonne facillime ab insulanis essent repulsi? Angustias autem illas, cum Hermi ostiis adiacerent, summi mercaturae momenti fuisse ex se intelligitur. Fortasse igitur Corynaei ab Erythraeis ipsis deducti Leuconiam condiderant eamque a Chiis ereptam recuperaturi ab illis auxilium acceperunt. Quod bellum multos per annos ductum idem esse conicio, quo Milesii Chios contra Erythraeos adiuverunt, qua re permoti illi Milesiis contra Alyattem omnium Ionum soli copias subsidio miserunt[4]). Eodem pertinere videtur strategema illud apud Frontinum, quod Chii his temporibus adhibuerunt. „Chii“, inquit[5]), „qui adversus Erythraeos bellum gerebant, speculatorem

---

[1]) Curtius, griech. Gesch. I³, p. 377.

[2]) Plut. virt. mul. 3 (Duebner). Polyaen. VIII, 66.

[3]) Apud Plutarchum l. c. *Κορυναίων* scribendum est pro *Κορωναίων*.

[4]) Herod. I, 18.

[5]) Strateg. II, 5, 15.

eorum in loco edito deprehensum occiderunt et vestem eius suo militi dederunt, qui ex eodem jugo Erythraeos signo dato in insidias evocavit". Eidem aetati adscribendae sunt artes et doli Erythraeorum illorum, qui Chios quosdam eo consilio ut interficerent in convivium acciverant; hi vero, nisi ab Erythraeo amico de hac re certiores facti, servati non essent[1]; adscribenda praeterea sunt, quae leguntur apud nonnullos antiquitatis scriptores, quae a Parthenio quidem desumpta sunt ex primo Andrisci *περί Ναξιακῶν* libro[2]. Hinc denique repetendum est, quod posteri narrabant[3], etiam de Herculis simulacro acquirendo inter urbes fuisse certamen. Ratis enim, in qua deus insistens ostendebatur, primum ad Heram Mesatam promontorium appulit: qua re conspecta et Chii et Erythraei certatim sibi illud arripere conabantur, donec his Phormio quidam, nauta et piscator, suasit, ut feminarum comas in restim contexerent. Quae cum non obtemperarent, mulieres Thraciae, quae voluntaria servitute, etsi ingenuae ortu erant, victum apud Erythraeos quaeritabant, se tondendas praebuerunt. Ita rate potiti cives edixerunt, ut solis Thraciae mulieribus Herculis fanum intrare liceret. Hae narratiunculae, quarum veritati non ubique est insistendum, ostendunt, odium quam acerbum non propter res gravissimas, sed quaestuosae mercaturae causa inter has urbes exarserit. Idem ob studium mercatorium

---

[1]) Athen. IX, 384.

[2]) Parthenius cap. 9 in erot. script. ed. Hercher. Plut. virt. mul. 17. Polyaen. strateg. VIII, 36.

[3]) Pausan. VII, 3, 4.

factum est, ut, regionibus proximis hominum multitudine refertis, cum ingenio prompti maiorumque rerum avidi essent, oras remotiores visuri summa diligentia ad naves aptius et habilius aedificandas incumberent[1]). Quocum optime consentit quod Parium urbem inter Lampsacum et Adrasteam sitam soli[2]) vel una cum Milesiis et Pariis[3]) colonos deduxerunt. Vici denique, qui in tributorum titulis[4]) coloniae Erythraeorum appellantur, utrum ab iis revera conditi an subiecti sint, opus est in medio relinquere.

Quod ad civitatem regendam attinet, summa rerum primum penes Cnopum eoque mortuo penes posteros eius erat. Neque enim opinor, ad Cnopum primum regem pertinere ea quae Athenaeus affert ex Hippia Erythraeo[5]). Is, quem solum novimus rerum ab illa urbe gestarum scriptorem, *ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν περὶ τῆς πατρίδος ἱστοριῶν* narrat[6]), quomodo Cnopus Delphos consultum profectus ab Ortyge iisque qui cum eo faciebant, in navi occisus sit. Hi deinde adiuvantibus Amphiclo et Polytecno Chii tyrannis rerum potiti ipsorum arbitrio rem publicam administrare coeperunt. Cum autem insolentius et crudelius imperarent neque quemquam nisi amicos urbem intrare paterentur, Hippotae Cnopi fratri, copiis aliunde collectis, ab iis, qui intra moenia imperium aegre fere-

---

1) Plin. h. n. VII, 207.
2) Pausan. IX, 27, 1.
3) Strab. XIII, 588.
4) Koehler, l. c. ind. urbium.
5) Vossius, hist. graec. III, p. 455.
6) Athen. VI, 259. cf. Schoemann, griech. Alterth. I², p. 125.

bant, adiuto contigit, ut tyrannum eiceret. Qua in re civium tanta erat ira, ut ulciscendi cupiditate incensi ne uxoribus quidem liberisque adversariorum parcerent[1]). Haec igitur, ut supra diximus, non ad antiquissima illa tempora, sed ad aetatem quam vocant tyrannorum referenda esse apparet, primum quod, si res a Cnopo rege gestae in secundo historiarum libro ab Hippia narratae erant, non habemus quod primo libro attribuendum esse statuamus, deinde quod nullum exemplum exstat, quo possimus comprobare, Graecos qui tanto amore Codri progeniem amplecterentur[2]), vix in alienam egressos terram, adversarios regiae gentis nimis feros et immanes esse factos, tum quod non optimates, sed tyrannus a tyrannis adiutus principem expulit, denique quod nisi in civitate discordiis magnopere lacerata ingenium et mores vel saevissimorum hominum tam atroces non inveniuntur. Ut autem ad rem publicam constituendam et urbem contra hostium impetus defendendam uno rege eoque duce opus erat, ita illis superatis et divitiis per mercaturam auctis, cum cives regibus pares se' putantes obedire iam nollent, gentibus nonnullis in urbe opulentis, quibus Basilidarum nomen erat, sine magna difficultate contigit, ut summam rerum sibi arrogarent singulisque omnes deinceps fungerentur magistratibus. Quem rei publicae statum ceteros cives, illegitimo et iniquo paucorum imperio offensos non diu toleravisse consentaneum est. Nobilibus igitur, cum valere desiissent, expulsis, liberam cives constituerunt rem

[1]) Plass, Tyrannis I, p. 230.

[2]) Aristot. Polit. V, 8 (Schneider).

publicam[1]), quae quam diu fuerit, nescimus. Respicientibus alias Ionum civitates licet nobis concludere, postea Erythraeis imperasse tyrannos, quorum neque de nominibus neque de aetate quidquam certi traditum habemus. Bato quidem Sinopensis narrat[2]), Pythagoram Ephesium fracta Basilidarum potestate, plebi adversus potentiores gratificatum atque imperii spe adulatum teterrimum urbis exstitisse tyrannum, cui nec deorum neque hominum iura sacra fuerint aut intacta. Atqui Basilidas Erythris imperasse Aristoteles testis est gravissimus. Ita fit, ut Pythagoram illum alii Ephesiorum[3]), alii Erythraeorum[4]) tyrannum factum esse dicant. Quod nullo modo ferri posse cum nemo sit qui neget, tamen me ipsum profiteor omnium his in urbibus rerum perturbationem et confusionem ex veterum testimoniis ortam explicare non posse, quamquam Basilidas in utraque urbe regnasse non verisimile esse, sicut Grotius vult[5]), non ausim contendere. Quae cum ita sint, Herodotus ille Basilidae filius, qui, non quod princeps civitatis sed nobili tantum loco natus erat vel magistratu fungebatur, Aeginam missus est petiturus[6]), ut Graeci Iones in libertatem vindicarent, utrum Ephesius habendus sit an Erythraeus, nescio; Cnopum vero ipsum in tyran-

---

[1]) Aristot. Polit. V, 5, 4. cf. Curtius, gr. Gesch. I, p. 217 sqq.

[2]) Ap. Suid. (ed. Gaisford) s. v. *Πυθαγόρας* s. v. *Ἀρίσταρχος*.

[3]) Guhl, Ephesiaca p. 35. cf. Grote, hist. of Greece (deutsche Uebersetzung) II, p. 204.

[4]) Kortüm, griech. Staatsverfassungen p. 121.

[5]) Deutsche Uebers. II, p. 143.

[6]) Herod. VIII, 132.

norum numero Erythraeorum fuisse equidem pro certo habeo.

Mercatura, ut causa multarum inter Iones ipsos inimicitiarum fuerat, ita earum gentium ab ora maritima remotiorum, quibuscum negotiabantur, invidiam et otium, postremo etiam bellum concitavit non tam quod Iones superbius se gerebant quam quod lucra faciebant quam plurima. Huc accedebat, quod barbari oram illam amoenitate et fertilitate portuumque opportunitate insignem[1]) ab iis qui expugnaverant, summo iure repetere posse sibi videbantur. Ita Lydi, ex quo tempore Mermnadae regnabant (716 a. Ch.) iterum iterumque irruptiones in regiones fecerunt maritimas[2]). A quibus Erythraei Mimantis et Coryci iugis defensi, etsi fortasse multo minus quam ceterae civitates vexabantur[3]), tamen mercatura iacente multa magnaque detrimenta accipiebant. Omnibus igitur Ionibus, cum diu restitissent, a Croeso demum, qui maioribus acrius aggressus est, subiectis tributa quidem imposita neque vero ius libertasque adempta sunt[4]). Quo devicto (546 a. Ch.) cum a Cyro adhortati deficere noluissent[5]), omnia divina atque humana in discrimine erant; namque ut

1) Herod. I, 142.

2) Herod. I, 14 sqq. cf. Curtius I^3, p. 524 sqq. Grote (deutsche Uebers.) II, p. 175—206.

3) Neque enim Lydis naves erant et montes illi tam difficiles et impediti, ut Chandlerus ipse vix transgredi posset.

4) Curtius I^3, p. 536. Duncker IV, p. 501. Grote (deutsche Uebers.) II, p. 204.

5) Herod. I, 141.

antea libertatem urbium, ita illo tempore etiam linguam religionem mores defendere eos oportebat[1]). Cum autem ne tum quidem omnes ad hostes patria arcendos inter sese coniunxissent[2]), auxilio a Spartanis recusato, Pactyae seditione nihil aliud effectum est, nisi ut Persae, qui post Sardes expugnatas redierant, exacerbati eo celerius Ioniam invaderent. Quibus praeerat Mazares eoque mortuo Harpagus, quorum alter Pactyam potissimum petebat, alter omnibus deinceps urbibus expugnatis Iones, cum Biantis consilium aspernati in aliam terram non migrassent, sibi contra Cares reliquasque orae illius gentes auxilio venire coëgit[3]). Praeterea tributum quidem et naves militesque iis imperavit[4]), permisit autem, ut liberi suis legibus uterentur atque adeo ad universum in Panionio concilium convenirent. Cyrus autem curabat, ut satrapis, qui Sardibus domicilium habebant, auctoribus homines Persarum studiosi rebus praeficerentur publicis, qui cum summae rerum praeessent, si minus verbo, at re certe tyranni, urbes oppressas tenere erant parati[5]). Successerunt Cambyses et Pseudo-Smerdis, quibus regnantibus rerum Ionicarum status haud ita multum mutabatur[6]). Sub Dario autem, qui regnum denuo constituit, tributis

---

[1]) Curtius I[3], p. 543.

[2]) Non enim foederi intererant Milesii, Samii, Chii.

[3]) Herod. I, 170.

[4]) Xenoph. Cyrop. VII, 4, 2 (Breitenbach).

[5]) Herod. V, 37. Heracl. Pont. fragm. 11 (Mueller). cf. Duncker II, p. 547. IV, p. 503. Grote (d. Uebers.) II, p. 479—487.

[6]) Herod. I, 214. III, 67.

accuratius aestimatis ac plerumque auctis[1]), servitutis iugum Ionibus impositum eo gravius et intolerabilius fieri coepit, quo maiore licentia fastidio acerbitate et satrapae provinciarum et tyranni urbium pecuniam exigebant. Iidem a rege facillime impetrarunt, ut Ionicae urbes omnium maxime naves ad notissimam illam contra Scythas expeditionem dare iuberentur. Male autem re gesta Darius, cum Histiaeum Mileti tyrannum secum Susa duxisset, Aristagorae res publicas huius urbis administrandas commisit. Is Persis primum fidus cum Megabata contra Naxum profectus, cuius expeditionis ipse auctor erat, cum propter illius proditionem insulam expugnare nequivisset, nullam spem salutis sibi esse ratus universae Ioniae seditionem commovit tyrannosque ex urbibus eiecit[2]). Ad quam auxilio ab Atheniensibus et Eretriensibus accepto, copiae Epheso profectae cum post Sardes expugnatas et incendio deletas celerrime sese recipere coactae essent, in Ephesiorum finibus fusae sunt atque fugatae[3]). Cum autem et ab Atheniensibus et a duce suo desertae essent et Miletum potissimum a barbaris peti audivissent, omnium consensu in Panionio decretum est, ut singularum civitatum naves ad Ladam insulam convenirent. Dederunt autem[4])

Chii . . . . 100 naves
Milesii . . . . 80 -

[1]) Herod. III, 90. Curtius I³, p. 569 sqq. Duncker II, p. 660 sqq. IV, p. 617. Grote (d. Uebers.) II, p. 508 sqq.

[2]) Herod. V, 37. 38. Grote (d. Uebers.) II, p. 542—565.

[3]) Herod. V, 102.

[4]) Herod. VI, 8.

Samii	60	naves
Teii	17	-
Prienenses	12	-
Erythraei	8	-
Myusii	3	-
Phocaeenses	3	-
Auxilio miserunt Lesbii	70	-

Quorum Erythraei una cum Chiis et Phocaeensibus et Lesbiis mediam tenebant aciem. Sed postquam Samiorum et Lesbiorum plerique ipso in proelio aufugerunt, classe quam ultimam comparare poterant, partim dispersa partim diruta, Miletus capta et universa Ionia denuo in barbarorum ditionem potestatemque redacta est[1]). Qua in re hi, quae ante pugnam minati erant, perficere non haesitarunt; exercitus enim terrestris ad oram septentriones versus profectus urbium moenia diruit, templa domusque combussit, incolas multos in servitutem abduxit. Ceterum tributa non aucta neque tyranni, quorum ambitione ac proditione tot tantaeque calamitates exstiterant, excepto Aeace, restituti sunt[2]). Qua sorte a Mardonio paullo relevata factum est, ut insequentibus contra Graecos pugnis saepius fortissime pro barbaris dimicantes excellerent[3]). Hi vero cum

[1]) Herod. VI, 32. Curtius I^3, p. 598. Duncker IV, p. 640—644. Grote (d. Uebers.) II, p. 568.

[2]) Herod. VI, 25. Quamquam non plane apparet, num praeter eum alii in suas quisque urbes redierint, tamen eos ad unum omnes a Mardonio expulsos esse, idem Herodotus testis est VI, 43.

[3]) Duncker IV, p. 796. 798.

ad Plataeas profligati[1]) et ex Graecia expulsi invicti iam non haberentur, classe ad hostes in ipsorum terra aggrediendos profecta, in pugna ad Mycalen commissa, barbaris relictis, Iones ad Graecos signa transtulerunt[2]). Libertate ita plane restituta, barbaris tributa pendere desierunt[3]).

Paullo post i. e. aestate anni 478 a. Ch., cum duces de eorum sorte in Samo insula deliberarent[4]), Peloponnesii sententiam tulerunt, eos, qui a ceteris civitatibus etiam in posterum defendi vix possent, in eorum, qui a Persarum partibus stetissent, Graecorum terras esse deducendos. Tum vero Athenienses potissimum eius modi consiliis acerrime repugnantes contra illos evicerunt, ut universi Iones, praesertim cum ab ipsorum gente essent oriundi, in foedus civitatum ad arcendos barbaros liberandasque Graecas urbes initum reciperentur[5]). Quam ob causam hi summam imperii, quam Lacedaemonii sibi sumpserant, quod cum ad eos non inclinabant, tum Pausaniae insolentiam intemperantiamque oderant et iustitiam et aequitatem adamaverant Aristidis, ad Athenienses transtulerunt. Quorum exemplum secutae mox paene omnes Graeciae civitates

---

[1]) Curtius II³, p. 91. Duncker IV, p. 855.

[2]) Herod. IX, 103. Curtius II³, p. 69.

[3]) Grote (d. Uebers.) III, p. 262 sqq.

[4]) Herod. IX, 106. Quae cum ita sint, ex titulo ap. Lebas, voyag. archéol. vol. III, No. 41, quem valde suspectum ducam, quidquam concludere non ausus sum.

[5]) Thucyd. I, 89. Diod. Sic. XI, 37.

adversus barbaros eos sibi delegerunt duces[1]). Socii, ut quod sibi proposuerant, assequerentur, statuerunt, ut urbes potentiores naves, reliquae tributa, omnes milites darent[2]). In numero earum, quae ab initio tributa conferebant, sine dubio habendae sunt Erythrae, utpote quae ad pugnam Ladensem non sine summa industria octo naves praebere potuerint[3]). Aliquot annis post auctoribus Samiis, qui erant et potentissimi sociorum et cum Atheniensibus consuetudine arctius coniuncti, aerarium Delo insula Athenarum in acropolim translatum translatoque ex eo tempore Athenienses soli hellenotamiae praeerant[4]). Quorum sub praesidio quantum quaeque civitas contulerit i. e. quomodo cuiusque res se habuerint, apparet ex tributorum titulis inde ab anno 454 a. Ch. lapidi incisis[5]). Atque in his quidem Erythraei, cum septem fere talenta penderent[6]), octavo

---

1) Thucyd. I, 94—96. Plutarch. Aristid. 23 (Sintenis). Cimon. 6. Diod. Sic. XI, 44. Cornel. Aristid. 2 (Nipperdey) — omnes Ephorum secuti.

2) Curtius II[3], p. 113—116. Grote (d. Uebers.) III, p. 226—273.

3) Vid. supra p. 23.

4) Curtius II, p. 150—153, quo loco diversas doctorum hominum de translatione sententias allatas invenies; equidem Sauppium v. cl. et Koehlerum v. cl. secutus annum 454 a. Ch. statuo.

5) Posthabitis et Boeckhio (Staatshaushalt der Athener II[2], p. 369—747) et Rangabeo (antiquités helléniques I, No. 131—248) hac in re Koehlerum sequor (Urkunden und Untersuchungen zur Geschichte des delisch-attischen Seebundes cf. comment. acad. Berol. 1869) et Kirchhoffium (die Tributlisten des zweiten Steingefüges cf. comment. acad. Berol. 1870).

6) Numerum in lapidibus nomini adscriptum indicare partem

anno[1]) i. e. 447/6 a. Ch. duo milia drachmarum addiderunt, unde intelligitur, eos duobus annis ante (449 a. Ch.) eadem qua omnes ad Hellespontum et in oris finitimis urbes calamitate afflictos[2]) insequenti anno (448 a. Chr.) solvendo non fuisse. Post decem annos (437/6 a. Ch.), quamvis aliae civitates sua sponte ad societatem accessissent, aliae ab Atheniensibus vi et armis essent subactae, tributa urbibus ita aucta sunt, ut quantum quaeque a. 454—450, tantum iterum a. 437—425 solveret neque iam quadringena et sexagena, sed sexcena quotannis talenta, quorum septem Erythraeorum Athenas conferrentur[3]).

Numeros navium, quas singulae civitates ad pugnam Ladensem miserunt, cum tributis si comparaveris, liquebit, Chios et Samios, illos magis agri et vitium cultura, hos magis mercatura et industria Ionum longe plurimum valuisse.

Milesii, quamquam post illam cladem paene ad internecionem redacti, negotiatione tamen in tantas brevi creverant opes, ut tributum solverent maximum.

---

tributi sexagesimam nemo nescit cf. Koehler, act. acad. Berol. 1865. p. 214. Curtius II, p. 224—226.

[1]) Quod in titulis quinti anni (450/49 a. Ch.) eos bis legimus, primum omnino, iterum partim deficiente numero, cum Koehlero v. cl. p. 15. 16 conicimus, aut illo loco *Ἐρυθραίων* scribendum et hoc nomen cum insequentibus coniungendum aut hanc esse partem aliquam tributo superioris anni additam et quae competierunt, usuras.

[2]) *λιμοῦ γενομένου* Thucyd. I, 112.

[3]) Magnopere dolendum est, numeros tributorum his annis ab iis collatorum omnino deesse.

Cuius dimidia parte tertio quadriennio relevati sunt, quod fide Atheniensibus comprobata multa inter bellum detrimenta a Samiis acceperant[1]).

Ephesios haud ita patriae amantes fuisse inde patet, quod, etsi agricultura[2]) et negotiatione maritima terrestrique[3]) florebant, Lydis auctoribus saluti communi nihil prospiciebant. Illinc repetendum etiam est, quod septem octove talenta Atheniensiebus pendebant.

Teios libertatis amantissimos et animo fuisse fortissimos, ostendit, quod et invicti septendecim naves praebebant et victi Abderam migrarunt. Qui cum ad mercaturam praecipue incumberent[4]), mox denuo ita effloruerunt, ut ab Aristide sex talentis aestimarentur.

Ut Erythraeorum octo navibus septem tributi talenta, ita Phocaeensium tribus tria optime respondent. Hi autem, cum agris egerent[5]), cur tertio quadriennio relevati sunt, dicere non possumus.

Colophonii, utrum septuaginta stadia a mari remoti[6]) nequiverint an ab Lydis permoti noluerint naves praebere, vix potest diiudicari. Ceterum magistratus divitiaeque semper erant penes paucas, quae rem equariam exercebant, gentes, quibus illa quam saepius diximus

---

[1]) Vide infra tributorum tabulam.

[2]) Herod. II, 10.

[3]) Vide viam, quae Epheso, Larisam, Hypaepam, Sardes ducit, opportunissimam.

[4]) Quam ob rem calamitate supra commemorata non afflicti tertio quadriennio idem atque antea tributum solverunt.

[5]) Justin. XLIII, 3, 5.

[6]) Strab. XIV, 643.

calamitate afflictis tributum tertio quadriennio dimidia parte diminutum est.

Lebedii, quibus portus non erat[1]), neque multi neque divites agricultura vitam sustentasse videntur. Illinc apparet, cur bello Persico naves praebere non potuerint, hinc, cur nono anno iis duo talenta ab Atheniensibus sint remissa.

Clazomenii, cum insulam incolerent parvam, neque ex agricultura neque ex mercatura magnos quaestus sibi comparabant, unde causa repetenda est, cur naves longas bello Persico non habuerint et parvum semper tributum solverint.

Myusii, qui a mari admodum remoti Maeandro flumine ad navigandum utebantur, naves praebuerunt tres. Quos post illam apud Ladam cladem Erythraeis quidem et Phocaeensibus paullo plus, Milesiis vero multo minus detrimenti a barbaris accepisse, tributa argumento sunt.

In his omnibus cum navium numero tributa plus minus respondeant, Prienensium videmus duodecim naves cum tributo unius talenti omnino non consentire. Quam difficultatem ut tollamus, nescio an liceat nobis conicere, eos templum Neptuni, cuius aerarium administrabant[2]), defensuros pecunia data naves illas praebuisse et ab Aristide ut sacerdotes minoris quam ceteros tributi esse aestimatos. Atque haec quidem de tributis.

Nunc exponamus, quem ad modum Athenienses auctoritatem in rebus publicis Erythraeorum admini-

---

[1]) Strab. XIV, 643 nullum commemorat.

[2]) Strab. VIII, 384.

strandis interposuerint[1]). Qua in re respiciendi potissimum nobis sunt tituli corp. inscr. graec. 73 et 73[b], quorum illius lapide valde infracto, huius plane deperdito dolemus semperque dolebimus. Multo maioris momenti hic est, in quo legendo et explicando, etiamsi ne nunc quidem singula expedire possimus, Boeckhio tamen duce aliisque titulis repertis, paullo plus proficere licet. Scripti autem sunt Cimonis aetate vel potius non multo post finem bellorum Persicorum[2]).

Decreverunt Athenienses[3]),

ut Erythraei quarto quoque anno boves ad Panathenaea mitterent[4])

ut iis eorum, qui legati civitatis festo interessent, tres minae carnis hostiarum[5])

ut iis, qui forte Athenis inter festum essent, a sacerdotibus caro et vinum distribueretur[6])

. . . .

---

1) In universum cf. Hermann, griech. Staatsalterth. § 156. 157. Schoemann, griech. Alterth. II², 97—108.

2) Phrurarchus enim praesidiumque Atheniensium etiam Erythris erat.

3) Vide titulum primum.

4) *Παναθήναια τὰ μεγάλα* legendum esse apparet cum ex litterarum vestigiis tum ex illo tributi titulo, qui scriptus est Ol. 88, 4 cf. Koehleri comment. supr. l. cap. 6. Numerum boum neque hic invenimus et schol. ad Aristoph. nub. 385 (Dindorf) *βοῦν* et *βοῦς* praebent.

5) Et ex iis, quae antecedunt, et ex iis, quae sequuntur, satis certo concluditur, verba quae sunt *τριῶν μνῶν* non cum Boeckhio ad viaticum, sed cum Kirchhoffio v. cl. ad viscerationem esse referenda.

6) Cf. Schoemann, griech. Alterth. II², p. 446.

ut Erythraei centum viginti unum senatores sortirentur[1])

ne quis senatorum minus triginta annis natus esset[2])

ut, si quis contra legem esset sortitus, in eum ageretur[3])

neve intra quattuor annos senator fieret[4])

ut phrurarchus Atheniensis in annum senatui interesset[5])

ut episcopi et phrurarchus Atheniensium primum quidem sortitioni praeessent sortitosque inaugurarent[6])

ut vero in futurum senatores et phrurarchus, priusquam decederent, de senatoribus insequentis anni creandis deliberarent[7])

---

[1]) Apparet, eos hunc numerum proposuisse eo consilio, ut aequo sententiarum numero lites diiudicari possent. Simile aliquid Atheniensium triginta unum iudices novimus cf. schol. ad Aeschyl. Eumen. 733 (Dindorf).

[2]) Attico prorsus instituto, ut ait Boeckhius, cf. Schoemann, griech. Alterth. I^2, p. 386.

[3]) Verba quae Boeckhium secutus dedi, satis incerta sunt.

[4]) Cf. Schoemann I^2, p. 418.

[5]) Quae de mea coniectura restitui verba *τὸν δὲ φρούραρχον τὸν πεμφθέντα Ἀθήνηθεν ἐν τῇ βουλῇ καὶ ἔτος ὅλον εἶναι* admodum dubia.

[6]) Episcopi igitur non bello demum Peloponnesiaco, ut Schoemannus v. cl. II^2, p. 104 vult, in urbes sociorum missi sunt.

[7]) *Περὶ τῆς βουλῆς*, quantumvis litterarum vestigia obsistant, recte restituisse mihi videor.

ut senatores per Iovem, Apollinem, Cererem iurarent,

. . . .

. . . .

se omnia, sicuti ipsis optimum et iustissimum Erythraeis et Atheniensibus et sociis videatur, ita esse deliberaturos[1])

se neque unquam ipsos defecturos ab Atheniensibus eorumque sociis[2])

neque cuiquam, ut deficeret, esse persuasuros[3]),

se neque ipsos ad hostes transfugituros[4])

neque cuiquam, ut ad eos transfugeret, esse persuasuros,

se neque recepturos esse quemquam exsulum

neque . . . .

se neque (adiuturos?) esse quemquam eorum, qui ad barbaros fugiant, sine consensu Atheniensium et sociorum[5])

---

[1]) Athenienses, Erythraei, socii semper quam arctissime inter se coniunguntur. Ceterum Boeckhius legit *ὡς ἀν ἐμοὶ ἄριστα εἶναι δοκῇ πάντα Ἐρυθραίων κτλ.*, Kirchhoffius v. cl. *ὡς ἂν οἴωμαι ἄριστα καὶ δικαιότατα Ἐρυθραίων κτλ.*

[2]) Ab initio igitur Athenienses, ne socii deficerent, maxime metuebant.

[3]) Quamquam nihil interest, utrum cum Boeckhio *οὔτ' ἄλλον ἐάσω οὐδὲ ἕνα* an cum Kirchhoffio v. cl. *οὔτ' ἄλλον πείσομαι* (omisso *οὐδὲ ἕνα* propter spatium) legamus, haec tamen ad litterarum vestigia propius accedunt.

[4]) *οὐκ αὐτομολήσω* de Kirchhoffii coniectura.

[5]) *εἰς τοὺς Μήδους φευγόντων ἄνευ τῆς ξυγγνώμης τῆς τῶν Ἀθηναίων καὶ τῶν ξυμμάχων* de mea coniectura. Non nemini

neque eorum, qui manere velint, quemquam esse expulsuros

. . . .

Si quis interfecerit vel aliud scelus nefarium commiserit, moritor[1]);

Si quis . . . .

. . . .

. . . .

et bona ejus civitati Erythraeorum sunto;

Si quis tyrannos adiuverit, moritor[2]);

. . . .

. . . .

. . . absentis liberi moriuntor[3])

. . . .

. . . .

Sed iam, si placet, redeamus ad res ab ipsis Erythraeis gestas. Atque initio quidem belli Peloponnesiaci haud scio an timore Lacedaemoniorum permoti, Atheniensibus dediti fuisse videantur[4]). Hi autem, cum iam paucis annis post (Ol. 88. 4 = 425 a. Ch.) duplicata[5]) tributa

---

Themistocles in mentem veniat idque recte, si post annum 473 a. Ch. hoc pactum Athenienses cum Erythraeis inierunt.

[1]) Arist. Polit. IV, 12, 1; cf. Schoemann, griech. Alterth. I, p. 156.

[2]) Schoemann, griech. Alterth. I, 166 sqq.

[3]) Nonnullae quidem voces neque vero enuntiata expediri possunt. —

[4]) Thucyd. III, 29 sqq. cf. Curtius II, p. 394. Grote (deutsche Uebers.) III, p. 503.

[5]) Koehler l. c. cap. 6.

maiore severitate postulare[1]) ac saepius insuper magnas pecunias belli causa exigere inciperent, sociorum in se concitarunt odium atque invidiam. Quo factum est, ut post cladem Siculam[2]), cum portorium illud odiosissimum esset constitutum, Chii Erythraeos socios adepti consilium caperent cum Tissapherne agendi. Legati mittuntur Peloponnesios rogaturi, ut seditionis principes fierent, satrapam ipsum mercedem et victum militibus eorum esse daturum. Et quamvis Pharnabazus quoque eos pecunia data amicos sibi reddere conatus esset, tamen Alcibiade potissimum auctore utraque civitas clam in societatem Peloponnesiorum eadem hieme i. e. 413/12 a. Ch. adscita est. Quo facto ea quae secuta est aestate, ubi Alcibiades ipse cum quinque navibus advenit, iam palam ab Atheniensibus deficere non dubitarunt[5]). Iussi igitur sunt a Peloponnesiis, quantum possent moenia reficere bellumque parare[6]). Atque Erythraei quidem summa industria patriae liberandae consulentes et exercitum Teum Lebedumque miserunt, ut incolas ad ipsorum partes traduceret et Pedaritum Lacedaemoniorum ducem cum copiis, quae Chium contra impetus Atheniensium defenderent, in urbem receperunt munitam[7]). Hos vero omnes labores et pericula et ipsi

---

[1]) Curtius II, p. 548 sq.

[2]) Curtius II, p. 606.

[3]) Thucyd. VII, 28; cf. Curtius II, p. 614.

[4]) Thucyd. VIII, 6; cf. Curtius II, p. 618. Nicolai librum Politik des Tissaphernes, Bernburg 1863, adire mihi non contigit.

[5]) Thucyd. VIII, 14.

[6]) Curtius II, p. 621. [7]) Thucyd. VIII, 19. 32.

et ceterae, quae defecerant civitates frustra subibant, propterea quod Lacedaemonii eodem Alcibiade suadente cum Tissapherne pacti erant, ut Iones essent regis[1]). Quid, quod eandem conditionem eodem quo illi consilio, scilicet ut barbarorum stipendia adipiscerentur, insequenti hieme Athenienses parati erant inire[2]) (412/11 a. Ch.)? Quae cum paene nullius momenti essent ad res civitatum publicas administrandas bellumque gerendum, factum est, ut incepto non modo non absisterent, sed omnes praeter Samios et Clazomenios Lacedaemoniorum, quos Lysandro quidem duce victuros esse intelligerent, partes summa fide sequerentur[3]). Quo revocato, Callicratides, qui ei successit (406 a. Ch.) eorum non modo animos auxit, sed etiam gratiam sibi et Lacedaemoniis magnopere reconciliavit. Is, cum in pugna ad Arginusas commissa periisset, Ionibus, qui Ephesum convenerant, placuit legatos mittere, qui peterent ab illis, ut Lysander iterum in ipsorum regiones dux mitteretur[4]). Iam vero paucis mensibus post (405 a. Ch.) huius, quem ipsi sibi rogaverant, ingenium et mores ex iis, quae Mileti fecit, haud difficile poterant cognoscere[5]). Quo ad impugnandos Athenienses profecto, Cyrus a fratre in Lydiam ut satrapa remissus

---

[1]) Thucyd. VIII, 18; cf. Curtius II, p. 622. Grote (deutsche Uebers.) IV, p. 289.

[2]) Thucyd. VIII, 56; cf. Curtius II, p. 636. Grote (deutsche Uebers.) IV, p. 327.

[3]) Curtius II, p. 680.

[4]) Curtius II, p. 698.

[5]) Diod. Sic. XIII, 104; cf. Curtius II, p. 699.

civitatibus Ionicis ditionis suae factis[1]) tributa quidem et praesidia imposuit, sed in universum potestate ita usus est, ut illae rebus publicis per septem annos belli iniuria attritis possent mederi. Quibus post illius mortem metu Tissaphernis auxilium petentibus Spartani milites miserunt iisque Thibronem 399 a. Ch., Dercyllidam 399 a. Ch., Agesilaum regem 396 a. Ch. praeesse iusserunt. His vero annis, num etiam Erythris ut Chii harmostam habuerint et decemviris res publicas dederint administrandas, ex veterum testimoniis diiudicari non potest[2]). Quod utcunque est, Agesilao revocato, post victoriam Cnidensem (394 a. Ch.) alii eorum aufugerunt, alii a Conone et Pharnabazo insulas et urbes maritimas praetervectis sunt expulsi, quo facto cives libera assueti republica decemvirorum imperium confestim evertisse sunt putandi[3]). Atque inter eas, quae Lacedaemoniorum partes deseruerunt, civitates Erythraeos diserte recenset Diodorus[4]), cuius testimonium, ut argumento quam firmissimo comprobaretur, opportune accidit. Cononem enim, ad quem defecisse non satis haberent, omnibus affecerunt honoribus[5]), quod quidem

---

[1]) Xenoph. Anab. I, 1, 6 (Krüger). Curtius III², p. 142. 146.

[2]) Diod. Sic. XIV, 84. μετὰ δὲ ταῦτα Χῖοι — Ἐρυθραῖοι.

[3]) Xenoph. Hellen. IV, 8, 1 – 5 (Dindorf); cf. Grote (deutsche Uebers.) V, p. 254.

[4]) l. c.

[5]) Quem titulum honorarium Lebas Erythris ipsis — lapis autem parieti aedis sacrae matris dei insertus est — descripsit et publici iuris fecit in ephem. rev. archéol. XIII, p. 3 et in libro, qui inscribitur: voyages archéologiques vol. III, part. 5, No. 39. Nostrorum vide titulum tertium.

nescio an eo magis sibi faciendum putaverint, quo maiores poenas, cum ante duodeviginti annos cum Chiis primi ab Atheniensibus defecissent[1]), tum sibi dandas arbitrabantur. Neque tamen contenderim, eos libertatis assequendae causa ita egissse, sed cum per multos annos ab altera parte alteri proiecti essent, de re publica tam male sensisse[2]), ut libero contenti mari iam iuxta aestimarent, utrum Atheniensibus an Lacedaemoniis an Persis tributa solverent. Ita nonaginta fere annos libera usi re publica pace Antalcidae (387 a. Ch.) iterum in servitutem delapsi sunt, ex quo tempore a Graecis, ut se in libertatem vindicarent, petere desierunt[3]).

Inde ab huius pacis tempore usque ad Alexandri adventum, cum ad satrapiam Lydiacam pertinerent, tributa solvere, milites, si populus universus convocabatur, mittere, praesidium alere coacti erant[4]). Cui aetati attribuendus est titulus ille[5]), ex quo Maussollum civitate aliisque rebus donatum et statuam eius in foro, Artemisiae coniugis in Minervae templo apparet esse statutam[6]). Sive quod eius in re publica consilia

---

1) Vid. supra p. 33.

2) Curtius III^2, p. 183. Lachmann, Geschichte Griechenlands vom Ende des pelop. Kriegs bis Alexander. I, p. 171.

3) Curtius III, p. 205—209. Grote (deutsche Uebers.) V, p. 329—331. Lachmann I, p. 199—207.

4) Droysen, Geschichte Alexanders des Grofsen. p. 9.

5) Lebas eum publici iuris fecit in revue archéologique XIII, p. 5 et in libro qui inscribitur: voyages archéologiques vol. III, part. V, No. 40; vide infra quartum titulum.

6) Schmidtii librum, Geschichte der Karer, Göttingen 1861, perlustrare non potuisse aegre fero.

comprobabant, sive quod in negotiorum commercio multa ab eo habebant commoda, post seditionem demum satraparum[1]) vel compluribus annis post regni initium eum dignum habere poterant, in quem honores illos conferrent. Cavendum enim est, ne propter dialecti discrimina, quae inter quartum et quintum[2]) titulum intercedunt, illum hoc multo vetustiorem ducamus, quippe quae melius lapicidis culpae dentur. Utut est, liquet et beneficia, propter quae tantam in honorem regis reginaeque pecuniam consumpserunt, et divitias civitatis mercatura scilicet comparatas tum fuisse maximas[3]). Hoc autem titulo paullo recentius habemus pactum Erythraeorum[4]) cum Hermia, Atarnensium tyranno, initum. Cuius de regno, cum auctores mentionem raro fecerint, factum est, ut ne hodie quidem docti homines inter se consentiant[5]). Ac Boeckhius quidem, cum Aristoteles et Xenocrates post Platonis mortem (348 a. Ch.) ab Hermia vocati sint, Diodoro optimo iure neglecto[6]), ex quarta, quae vulgo fertur, oratione Phi-

---

[1]) 362 a. Ch.; cf. Diod. Sic. XV, 90.

[2]) de quo paullo infra acturi sumus.

[3]) Ceterum vide Lebas l. c.

[4]) Editum est primum a Boeckhio in comment. acad. Berol. 1853. p. 133, melius deinde a Waddingtono in bullet. archéol. de l'Athénaeum français 1856, p. 29, et apud Lebas, voyages archéol. vol. III, No. 1536. Nostrorum vide titulum quintum.

[5]) Praeter Boeckhium l. c. de hac re commentatus erat Larcher, mém. de l'acad. des inscriptions Tom. 48.

[6]) Per mihi mirum videtur, quod Waddingtonus ap. Lebas l. c. vel post Boeckhii commentationem Diodorum XVI, 52 secutus est; toutefois, inquit, rien ne fait supposer que son règne

lippica illos hoc vivente Mytilenam se contulisse et huius regnum undecim annos h. e. Ol. 107. 1 — Ol. 109. 4 = 352—341 a. Ch. fuisse collegit. Cum autem omnibus nunc persuasum sit, orationem illam non Demosthenis aetate, sed permulto tempore postea esse conscriptam, facile ab animo impetramus, ut cum viris in historia philosophiae versatissimis Hermiam statuamus iam periisse, cum philosophi has regiones deseruerunt[1]) 345 a. Ch. Regnum, quod Boeckhius[2]) et Waddingtonus[3]) undecim annos fuisse coniecerunt, anno fere 355 a. Ch. incepisse arbitror[4]). Quod si verum est, inde etiam sequitur, ut hic erraverit, cum titulum illum ante bellum sociale scriptum esse putaret. Huc accedit, et quod Diodorus Maussollum quidem disertis verbis inter hostes Atheniensium fuisse commemorat[5]), Hermiae vero, qui, si regnasset, vix otiosus fuisset, omnino non mentionem fecit, et quod Erythraei, si quidem paullulum eadem in re publica consilia sequebantur, sicuti anno 362 a. Ch. ab illius, ita postea ab huius partibus stetisse putandi sunt. Quae cum ita sint, in definienda tituli aetate Boeckhium[6]) sequi equidem non dubito.

était long et en lui donnant une durée de dix ans environ 360 — 349 a. Ch., on ne doit s'éloigner beaucoup de la vérité.

[1]) Preller, hist. phil. graec. p. 295 ed. sec. cf. Strab. XIII, 610.

[2]) 352 — 341 a. Ch.

[3]) 360 — 349 a. Ch.

[4]) 355 — 345 a. Ch.

[5]) Diod. Sic. XVI, 7.

[6]) Auch Erythrä, ait, mufs also wie Hermias vom Könige abtrünnig gewesen sein cf. Droysen, Alexander p. 29.

Alexander, Persis ad Granicum victis, cum Ephesum venisset, Lysimachum[1]) ad omnes civitates Ionicas misit, ut nobilium imperia aboleret, liberas res publicas constitueret[2]), leges quibus ante pacem Antalcidae usi essent redderet, tributa quae usque ad id tempus barbaris contulissent, remitteret[3]). Quibus rebus peractis[4]), Lydiae et Ioniae rex Asandrum Parmenionis fratrem praeposuit (334 a. Ch.). Insequenti autem anno, quo Macedones in Syria versabantur, a Memnone Rhodio complures civitates maritimae ad Persarum partes redire sunt coactae, in quarum numero Erythraei tamen non videntur fuisse[5]), quamquam illius classis Samo insula Lesbum proficiscens fines eorum praetervecta est[6]). Asandro deinde, qui duobus annis post in Asiam mediam cum copiis abiit, Menander[7]) Antigoni amicus successit decemque annos satrapiae praeerat (usque ad a. 321 a. Ch.).

---

[1]) Arrian. Anab. I, 18, 1. Droysen, Alexander p. 121.

[2]) Cui rei non repugnant nummi Erythraeorum ap. Mionnet I, p. 526, No. 202 *Διόδοτος* et ibid. No. 203 *Ἡράκλεος*, quippe quos post mortem regis et in memoriam eius regni felicis cusos esse verisimilius est, cf. Müller, numismatique d'Alexandre p. 245. Ceterum Diodotus nescio an idem sit atque ille, qui *Ἐφημερίδας Ἀλεξάνδρου* h. e. de rebus ab Alexandro gestis commentarios conscripsit cf. Athen. X, 434[b].

[3]) Qua immunitate ne multum temporis post regis mortem fructi sint, non est verendum.

[4]) De eius consilio perfodiendae peninsulae iam supra dictum est p. 6.

[5]) Arrian. Anab. II, 1, 5 eos non commemorat.

[6]) Droysen, Alexander p. 147.

[7]) Arrian. III, 6, 8. VII, 23, 1. Droysen, Hellenismus I, p. 45.

Qui postquam in amici exercitu stipendia facere praetulit[1]), rege mortuo, in secunda quae Triparadisi facta est provinciarum divisione (321 a. Ch.) Clito data est Ionia[2]). Sed iam duobus annis post (319 a. Ch.) ei, cum se sua defendere posse desperans in Macedoniam confugisset, Antigonus urbes eripuit ereptisque milites praesidio reliquit[3]). Atque Erythraeis quidem tantus eorum erat numerus, ut auctumno anni 315 a. Ch. Seleuci impetus sustinere possent[4]), donec Ptolemaeus Antigoni fratris filius[5]) classe advectus urbem obsidione liberavit et illum infecta re Cyprum coëgit redire. Hi autem, ex quo tempore Antigoni erant ditionis, specie quidem libera utebantur re publica, revera autem non solum victum militum et tributa sibi imponi, sed etiam ipsorum ius iterum iterumque violari aegerrime eos tulisse quis est quin intelligat? Quae si non fuissent, qua tandem re permotos ab illo Cassandrum, Ptolemaeum, Lysimachum in pace putas postulasse (311 a. Ch.), ut civitates Graecas sui iuris esse permitteret?[6]) Cui ille conditioni, cum Cassander ipse urbes Graecas in potestate sua retineret, nequaquam sibi obediendum esse ratus praesidia ubique habebat

---

[1]) Diod. Sic. XVIII, 52. Plutarch. Eumen. 9. Droysen, Hellenismus I, p. 199.

[2]) Droysen, Hellenismus I, p. 153.

[3]) Droysen, Hellenismus I, p. 214.

[4]) Diod. Sic. XIX, 60. cf. Droysen, Hellenismus I, p. 344.

[5]) Droysen, Hellenismus I, p. 738 tab. III.

[6]) Diod. Sic. XIX, 105. XX, 19. cf. Droysen, Hellenismus I, p. 389.

ac ne tum quidem quidquam mutavit, cum Ptolemaeus ob eandem causam bellum se ei illaturum esse minaretur (310 a. Ch.). Exorto autem eo inter illum et Lysimachum (302 a. Ch.) Prepelaus dux, simulatque Ephesum expugnavit, Clazomenas quoque et Erythras aggressus, cum copiis auxilio venientibus[2]) nihil efficere potuisset, imperavit, ut milites agros civitatum devastarent[3]). Ab hac autem calamitate paullulum tantum respirare poterant; Demetrius enim, cum vel post Antigoni patris mortem in Graecia denuo certamen incepisset, victus Lysimacho ut ceteras urbes Ionicas, ita Erythras quoque concessit[4]). Hic vero tantum aberat, ut iis bene consuleret, ut imperiis popularibus eversis paucorum imperia a sua parte stantium ubique constitueret et tributa exigeret quam plurima[5]). Quae cum ita fuerint, Erythraeos statuere licet inter eos fuisse, qui Demetrium in Asiam denuo traiecisse certiores facti confestim a Lysimacho defecerint[6]), praesertim cum Ptolemaeus, illius patruelis effecisset, ut Seleucus obsidione desisteret (315 a. Ch.), Prepelaus deinde, huius dux, agros vastavisset, hic denique ipse summa cum eorum offensione imperium constituisset nobilium. Vix autem haec ei fortuna contigerat, cum iam Agathocles navibus appulsus urbes occupat (auctumno

---

1) Droysen, Hellenismus I, p. 401.

2) Diod. Sic. XX, 107. βοηθείας ἐλθούσης.

3) Droysen, Hellenismus I, p. 522.

4) Droysen, Hellenismus I, p. 572.

5) Droysen, Hellenismus I, p. 609.

6) Plutarch. Demetr. 46 (a. 287 a. Ch.).

anni 287 a. Ch.). Quo facto, quem statum pater rebus publicis imposuerat, eum filium retinuisse consentaneum est[1]). Cuius morte cur civitates magnopere doluerint, causa inde repetenda est, quod in ceteris rebus velut in tributis exigendis humanum se praebuerat. Quamquam igitur his rebus effecerat, ut ipse magnopere diligeretur, tamen fieri non potuit, ut paucorum imperium diutius quam opus erat ferrent. Atque hoc quidem cum ex ipsa rei natura sequitur, tum ex titulo sexto[2]), si quidem huic tempori eum recte attribuimus, eo luculentius patet. Quem ne quinto subparem habeamus tyrannumque illum, cuius nomen nescimus, paullo ante Alexandri adventum illis imperasse arbitremur[3]), litterarum forma[4]) impedimento est et oratio[5]). Adde, quod undecim annis (inde ab anno 345 a. Ch., quo summa rerum penes senatum populumque fuisse

---

[1]) Droysen, Hellenism. I, p. 635.

[2]) Publici iuris factus est a Kirchhoffio v. cl. in act. acad. Berol. 1863, p. 265; vid. supra p. 10.

[3]) Quod haud scio an non nemo ex similitudine Chii (cf. Curtius, griech. Gesch. III, p. 485) et Ephesi (cf. Guhl, Ephesiaca, p. 54) maximeque ex Arrian. Arab. I, 18, 1 in animum inducat concludere.

[4]) Optimum est afferre sententiam Kirchhoffii rei epigraphicae peritissimi: Da nun, ait, die Abwesenheit jeder dialektischen Form und von Spuren alter Orthographie beweist, dafs die Urkunden nicht älter sein können als die Zeit Alexanders des Grofsen und auch der Charakter der Schrift entschieden auf die makedonische Epoche hinweist —.

[5]) Eandem in sexto, septimo, octavo, nono titulo formam habemus hancce: *ἐπειδή . . . . . ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι.*

supra vidimus usque ad annum 334 a. Ch., quo Alexander advenit) vix tyrannidem et paucorum imperium ferre iisque expulsis liberam potuerunt constituere rem publicam et quod ab Athenaeo vel Aeliano vel Polyaeno vel alio eius generis scriptore tyranni illius, si sub Persarum imperio fuisset, aliquam profecto memoriam conservatam esse licet conicere. Quibus de aetate tituli expositis, ut ad ea quae continet, veniamus, Zoilo Chiadi[1]) filio auctore statuam Philitae[2]), qui tyrannum[3]) urbis interfecerat, a nobilibus mutilatam restaurari[4]) senatus populusque Erythraeorum iusserunt. Atque haec quidem de rebus eorum internis. Ceterum memoriae non proditum est, utrum usque ad mortem Lysimachi (281 a. Ch.) in eius potestate fuerint an iam superiore anno ad Seleucum defecerint. Hoc autem mortuo (281 a. Ch.) Antiochi Soteris potestati (usque ad 261 a. Ch.) et deinde Antiochi Dei subiecti erant, qua aetate nusquam, quantum scio, eos peculiariter commemoratos invenimus, ut nesciamus, num urbs eorum a Tolistoboiis, gente Celtica (278—274 a. Ch.)[5]) oppugnata vel expugnata sit neque num Ptolemaei

---

1) Vel Chiadae.

2) Nummum enim mus. Berol. secutus „Philites" malim scribere quam „Philitus" (Kirchhoff); vid. infr. ind. nom. propr.

3) Plane Kirchhoffii comprobo sententiam, qui tali modo: Unter dem sogenannten Tyrannen, ait, ist einfach eins der hervorragenden Häupter der oligarchischen Partei zu verstehen.

4) Statua aut in foro aut in arce posita erat vid. supr. p. 9.

5) Droysen, Hellenism. II, p. 177. Ceterum usque ad Ephesum et Miletum progressi sunt.

naves usque in portus Erythraeos bello Syriaco primo (266—263 a. Ch.) sint provectae[1]). Satis autem constat, Erythraeos copiis Antiochi Soteris, quas in urbe habuerat, belli gerendi causa deductis, ipsos rebus publicis praeesse mox incepisse. Itaque cum libertatem, quam sibi comparaverant, facile possent defendere, Antiochum Deum conicio autonomia eos donasse (a. 248 a. Ch.) eo consilio, ut eos sibi obstrictos tantoque paratiores haberet oras contra Aegyptiorum impetus defendere. Ceterum sive quae ipsi sensim constituerant rex rata esse iussit, sive civitate donati statum rei publicae suo arbitratu commutarunt, ex titulo septimo, octavo, nono facile est ad intelligendum, tum temporis strategos, prytanes, exetastas summae rerum praefuisse et fortasse ab Herculis[3]) sacerdotibus annos denominatos esse. Pro iis vero, quae Antiocho debebant, Seleuco eius filio bello Syriaco tertio (246—243 a. Ch.) fidem servabant. Neque enim ab animo impetrare possumus, ut Iustinum[4]) sequamur et titulum Adulitanum[5]), quorum apud illum legimus, civitates universas exemplo crudelitatis[6]) exterritas (246 a. Ch.) Ptolemaeo se tradidisse, in hoc, ab Aegyptiorum rege Ioniam quoque

---

[1]) Droysen, Hellenism. II, p. 245.

[2]) Ioseph. Antiq. Iud. XII, 3, 2 (Bekker). Droysen, Hellenism. II, p. 299.

[3]) Vid. infr. cap. 3 s. v. Hercules.

[4]) Iustin. XXVII, 1 (Ieep).

[5]) Corp. inscr. graec. 5127.

[6]) Scilicet in Berenicen eiusque infantem commissae.

expugnatam esse. Immo ex septimo[1]) titulo ad bellum illud pertinente[2]) concludimus, Erythraeorum et urbem et fines contra Aegyptios defendisse itaque populare imperium[3]) et libertatem civitatis servasse novem illos secundi quadrimestris nescio cuius anni strategos. Erant autem hi: Athenaeus Eupolidis f., Philo Herosontis f.[4]), Bottas Bottadis f., Alypus Epameinonis f., Epameinon Epameinonis f., Aristomenes Dionysii f., Diotrephes Heracliti f., Leodamas Aristarchi f., Metrodorus Theotimi f.[5]), qui de re publica optime meriti a civibus publice laudati coronisque aureis donati sunt. Inde sequitur, ut Erythraeos fraternis quoque bellis sibi constantes easdem partes secutos una cum Smyrnaeis, Chiis, Lesbiis, Lemniis, Rhodiis Seleuco naves auxilio misisse putemus[6]). Pace vero (239 a. Ch.) utrum sui iuris facti an Antiochi Hieracis potestati subiecti sint — Seleucum enim Asia minore cedere oportuit —, vix quisquam diiudicarit[7]). Quamquam quid est, quod eorum urbem dignam

---

1) Lebas, voy. archéol. vol. III, No. 1536. Eadem fere aetate scriptus est titulus ille, quem Barthius in Mus. Rhen. 1850, p. 261 et Lebas, voyag. archéol. vol. III, No. 1541 ediderunt; vid. infr. cap. 3 s. v. Hercules.

2) De bellis enim fraternis non cogitari potest.

3) Droysen, Hellenism. II, p. 408.

4) Philo Herosontis filius haud scio an idem sit atque ille, cuius nomen in nummis urbis autonomis legimus; vid. infr. ind. nom. propr.

5) Lectiones quae sunt Eupolidis, Epameinonis, Diotrephes, Leodomas, Theotimi non satis certae.

6) Droysen, Hellenism. II, p. 353, 365.

7) Droysen, Hellenism. II, p. 388 sqq.

habuerit, quam praesidio occuparet[1])? Sin autem occupata erat, eius, cum denuo bellum Seleuco inferret, imperium neque gravius neque diutius ferebant. Quae si ita sunt, recte attribuere mihi videor huic aetati octavum titulum et nonum, quos cave, ne propter litterarum, quae sunt Ξ et Π, formas[2]) septimo antiquiores ducas. Nam cum nummi Alexandro subpares iam formam Ξ litterae praebeant et Curtium v. cl. accurate Delphis descripsisse mihi persuasum sit, formas, quae sunt Ξ et Π lapicidae melius culpae dederis. Cum autem neque Erythraei Iones neque Aetolus neque Erythraeus Thermopylensis[3]) nominentur, ex iis solum quae tituli continent, coniecturas licet capere. Unde liquet, eos scriptos esse ea aetate, qua concilium Aetolicum auctoritate vel apud eos, qui Asiam incolebant, Graecos plurimum valebat. Atque hoc cum Brandstaetero[4]) sub Demetrio et Antigono fuisse, ita statuere nobis placet, ut Schoemanno v. cl. concedamus, eos

---

[1]) Ephesum et Magnesiam Ptolemaeus retinebat eo consilio, ut quam facillime adversa ripa Caystri et Maeandri interiores regiones invadere posset, cf. Euseb. chron. ed. Aucher I, p. 346. Droysen l. c. Ceterum Frontin. III, 2, 11 pro „Samiorum" cum Dederichio „Saniorum" legendum est.

[2]) Quas in his Ξ Π, in septimo Ξ Π scriptas habemus.

[3]) Vide titulos ipsos, qui publici iuris facti sunt in Curtii anecd. Delphicis No. 68, 69; quem descripserunt Rangabé, antiq. hellén. No. 737, 738. Lebas, voy. arch. vol. III. No. 850, 851. — Tertio a. Ch. saeculo cum Christio v. cl. titulum duodecimum attribuo cf. act. acad. Bavaric. 1866 et indic. nom. propr. infra.

[4]) Aetoler, Buch III, Kap. 3.

summam contra Philippum virtutem praestitisse bellicam[5]). Continent autem tituli haec: De Erythraeorum Ionum legatis Pythagora, Epicuro, Lampone Thermopylas ad Amphictyonum concilium missis cum nihil assecuti essent, Neptolemus Aetolus et Timocrates Erythraeus Thermopylensis adhortati, ut ad Aetolos se conferrent, consilio et facto bene meruerant. Hanc igitur ob causam illi decreverunt, ut uterque eorum publice laudaretur et corona, qua donaretur, pronuntiaretur Dionysiis et Seleuciis[2]) Delphicis et columnae, in quibus tituli essent inscripti, in templo statuerentur Apollinis. Ceterum magnopere dolendum est, quod nescimus, quam causam habuerint et num id, quod sibi proposuerant, ab Aetolis impetraverint. Postea, ut nullam habebant causam, propter quam ad eos inclinare pergerent, ita Pergamenos, quorum opes in dies magis Seleucidarum imperii labe crescerent, amicos sibi reddere vel maxime negotiationis causa conabantur. Quo factum est, ut secundo belli Syriaci anno (191 a. Ch.)[3]) post pugnam ad Corycum promontorium com-

---

[1]) Schoemann, griech. Alterth. II², p. 112. Seine gröfste Bedeutung, ait, erlangte der ätolische Bund noch 230 a. Ch. in den Kämpfen gegen die Makedonier. — Boeckhius titulorum corp. inscr. 2350—2352 Ceiorum et corp. inscr. 3046 Teiorum aetatem nisi in universum non definivit.

[2]) Seleucia in honorem Seleuci II Callinici esse instituta, quamvis veterum testimoniis comprobare non possim, equidem tamen mihi persuasi. — Quibus iam diu scriptis, eandem sententiam vidi latam a Foucartio in rev. archéol. 1865, p. 300.

[3]) Iam anno 201 a. Ch. Attalus, cum proelio navali a suis interclusus in summo discrimine esset, nave subducta in eorum

missam non inviti Romanorum partes transgressi una cum Colophoniis naves auxilio mitterent[1]). Antiocho ad Magnesiam devicto, in pace ab illis pro singulari fide, quam eo bello praestiterant, non solum agro, quo Teii propter ambiguam fidem cedere cogebantur[2]), sed etiam libertate et immunitate[3]) donati sunt (189 a. Ch.). Qua re concessa cum vel de maioribus civitatibus h. e. de Chio, Samo nihil traditum sit, consentaneum videtur, ne de Erythraeis quidem, quid egerint insequenti aetate, certi quidquam narrari[4]). Satis tamen constat, eos immunitatem illam usque ad 129 a. Ch. habuisse[5]) et Romanorum Attalorumque amicitiam semper sibi servasse, donec anno 133 a. Ch. una cum ceteris civitatibus Ionicis in illorum ditionem venerunt[6]). Atque haec

---

urbem paene solus confugere non dubitavit, cf. Polyb. XVI, 6, 2—9 (Dindorf). Mommsen, röm. Gesch. I^{5}, p. 706.

[1]) Liv. XXXVII, 8. cf. Mommsen, röm. Gesch. I, p. 744.

[2]) Liv. XXXVII, 27 sqq.

[3]) Polyb. XXII, 27, 6 et qui eum paene vertit Liv. XXXVIII, 39; alter »*εὔνοιαν καὶ σπουδήν*«, alter „singularem fidem", cf. Mommsen, I, p. 752. — Clazomeniorum vero a parte, qui praeter immunitatem Drymussam insulam acceperint, fines Erythraeorum prolatos esse verisimile non videtur. — Eumenis ditionis factae sunt Ephesus cf. Polyb. XXII, 27, 10, Teus cf. corp. inscr. gr. 3067 (Lebedus iam non erat cf. Pausan. VII, 3, 2). — Libertate donatae sunt (Smyrna), Phocaea, Clazomenae, Erythrae, Colophon, Miletus, Chius, Samus.

[4]) Peculiariter commemorantur ap. Liv. XLIV, 28, ex quo loco tamen nihil ad nostram rem conferri potest.

[5]) Appian. bell. civ. V, 4 (Bekker).

[6]) Non habebant, cur non una cum Chiis ab horum partibus contra Aristonicum starent.

hactenus de rebus ab illis gestis. Mitto enim cetera, primum quod inde ab illo tempore fata quidem habebant[1]), historiam vero habebant nullam, deinde quod plerumque complures vel omnes Ionicae civitates ad sortem aliquam vocari solebant[2]), quod ea denique, quae ad universam provinciam pertinent, iam conscripta sunt a Bergmanno[3]), ad cuius commentationem lectorem delegatum velim.

---

[1]) Verres, cum Cn. Dolabellae esset legatus, per vim signa urbis pulcherrima abstulit.

[2]) Veluti a Mithridate, Sulla, Lucullo, Pompeio, Caesare, Augusto.

[3]) Bergmann, de Asia Romanorum provincia, diss. inaug. Berol. 1846.

CAPUT TERTIUM.

DE ANTIQUITATIBUS ERYTHRAEORUM.

Senatus [1]).

Senatores, quos Atheniensibus auctoribus inde a Cimonis aetate usque ad annum 413 a. Ch. certe[2]) centum viginti unum sortiebantur, rebus publicis usque ad primum p. Ch. saeculum[3]) et fortasse postea quoque praefecti, aliis temporibus alia potestate utebantur. Quibus prytanes[4]) duodecim decimam anni partem praefuisse, conicere quidem, neque vero comprobare possumus. Hoc autem loco non alienum videtur exponere, quomodo Erythraea divisa fuerit. Ac primum quidem constat, et in ea Pausaniae[5]) temporibus tres minimum tribus fuisse, quarum tertia nomine Chalcidis[6]) in orientali Coryci sita erat parte, et in Ionicis urbibus

---

[1]) Cf. Schoemann, Griech. Alterth. I², p. 385 sqq.

[2]) Num idem numerus postea fuerit, nusquam traditum est.

[3]) Hoc demum tempore scribitur *Ψ B Δ* h. e. *ψήφισμα βουλῆς δήμου,* quod in titulo apud Lebas, voyag. archéol. vol. III, No. 55 legimus cf. Franz, elem. epigr. graec. p. 354.

[4]) Vide titulum ap. Hamiltonum 233 = Lebas, vol. III, No. 1540. Sub Romanorum autem imperio senatui Erythraeo ut Ephesio praesidebat bularchus, vid. tit. ap. Lebas vol. III, No. 57. cf. corp. inscr. graec. 2997.

[5]) Pausan. VII, 5, 12.

[6]) Vide supra p. 2.

uattuor fere tribus inveniri. Quorum si hoc in Erythraea quoque fuisse statuimus, perspicuum est, trienos ex singulis tribubus quotannis senatores esse reatos, ita scilicet, ut quarto quoque anno una quaeque ecundum ordinem centesimum vicesimum primum praeeret. Sin vero tres ibi tribus fuisse arbitramur, quarageni ex singulis tribubus eligebantur, ita tamen, ut b una quaque eodem modo centesimus vicesimus primus nitteretur. Huic ultimo numero optime respondent ovem strategi[1]) in tertiam anni partem creati et sex udicum praesides[2]). Quae res cum ita se habeat, umerum tribuum Erythraearum equidem in medio elinquam.

Gerusia[3]),

